

- Niitur arte fugae, quo possit currere late,
 Masticat, lingit, tandem sic ora resolvit,
 90 Prosilat et plaudit, tenero terram pede tundit,
 Mugitum reprimit, vernantia prata revisit.
 Concessa est pecori libertas laxior illi,
 Scandere seu laevo malit seu tramite dextro,
 Sumere seu requiem seu continuare laborem.
- 95 Cursitat ille strepens, paribus concurrere gaudens,
 Haec cum fastidit, silvae tutamina quaerit.
Hujus in occursum forstrarius elicit ymnus,
 Moris ut est monachis longo de calle reversis:
 'Sit salvus, Christe, servus, qui mittitur ad me,
 100 Te fisus domino laetetur semet in ipso.
 Hic habet hospitium noctis sub pace quietum,
 Has nostras post cras sacrabit tempore mensas;
 Qui peccare valet, valet et succumbere poenae.
 Moxque cavernosos jussus penetrare recessus
- 105 Ducitur ad lustra multo foetore referta.
Tunc lupus, ad libitum sese satiare gavisus,
 Extulit hunc versum cuncta pietate perustum:
 'Dicito quid venias, qua nos ratione revisas?
 Tu mihi nunc, sodes, optatus diceris hospes.
- 110 Laudes dic superis, silvae novus incola surgis,
 Tu recreare venis tenuatum corpus ab escis:
 Tertius est mensis, quod frustror nectare carnis,
 Nec biberam cratum pecudis de sanguine tinctum.
 Cum prorepererunt primis animalia terris,
- 115 Mutum et pingue pecus nobis fabricaverat usus.
 Ordinis est virtus, placetur sanguine divus.
Incipit haec vitulus singultim, pauca loquutus,
 Infans namque pudor prohibebat plura profari.
 vitulus secum.
- 'Jupiter, ingentes qui das adimisque labores,
 120 Peccatis noctem, quin fraudibus obice nubem.